INDICES
LECTIONVM
TVM
PVBLICARVM TVM PRIVATARVM
IN
ACADEMIA MARBVRGENSI
PER
SEMESTRE AESTIVVM ANNI MDCCCXII.
HABENDARUM,

QVARVM INITIVM DVCETVR EX D. XX. APRILIS.

MARBVRGI,
EX OFFICINA KRIEGERIANA.

ACADEMIAE MARBVRGENSIS
PRORECTOR CUM SENATU

S. D.

COMMILITONIBVS DILECTISSIMIS.

Loco, Vobis, Commilitones, ex Ciceronis Oratione pro Milone nuper apposito, emendationis, post multos VV. DD. a nobis quoque tentatae, indigenti iam subiungamus duo alia, in Ciceronis scriptis quoque occurentia, librariorum oscitatione aeque corrupta, nec hucusque sanata, ut eo magis Vobis persuasum habeatis, et in minutissimis scientiarum partibus multa restare, quae iudicium Vestrum exercere, quibusque accuratius expositis magisque dilucidatis doctrinae laudem Vobis parare possitis. In libr. I. de Divinatione cap. IX, signis futurae tempestatis ex Arati Phaenomenis enumeratis, animalibusque, quae ipsam praesentiant, et aliquo indicio horribiles procellas instare nuntient, nominatis, ita quidem pergit Romanorum ille scriptor elegantissimus: „Videmus haec signa non unquam fere mentientia: nec tamen, cur ita fiat, videmus.

Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae,
Cum clamore paratis inanis fundere voces,
Absurdoque sono fontis et stagna cietis.

Quis est, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed inest *in rivis* et ranunculis natura quaedam significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior." — *In rivis* h. l. Ernestio Hottingeroque monentibus lectio est vetusta, a Grutero e Mss. eruta, et a nonnullis quoque defensa, at vero frustra: sensus enim commodus inde nullo modo extorqueri potest. Nonnulli Mss. habent *in renis;* in aliis vero, ut Guelf. et in edit. vett. extat, *inest mire et ranunculis;* quae quidem lectio variis VV. DD. coniecturis locum dedit. „Ex his, inquit Hottingerus, nulla probari potest, si Ursinum excipias, et Ernestium; quorum hic, *nimirum et ranunculis* legendum censet; ille vocem *mire* in margine positam putat ab aliquo, cui suspecta esset illa lectio *in rivis*. Sed, quod idem cum Victorio legendum existimat, *in gyrinis*, vel *gerinis*, in eo nimirum frustra est. Etsi enim *gyrinos* a *ranis* differre, nullum dubium sit, tamen minime intelligitur, cur necesse fuerit, utrosque commemorari." — Quod si igitur *in rivis* s. *in renis* minime explicari, *mire* vero non retineri potest, *nimirum* autem, ultimae quidem huius lectionis vestigiis insistens, a vetustae tamen illius literis nimium quantum recedit, alia iam locum illum corruptum sanare tentemus coniectura. In versibus ex Arati Phaenomenis appositis non nisi de ranis sermo est; his vero ex opinione vulgi praesensionem futurae tempestatis *praecipue* inesse, quis est qui nesciat? Pro *in rivis* igitur

legamus *in primis*, quod quasi sua sponte se nobis offert; et tum sane, *τῷ et*, quod Ernestius extrudendum censebat, retento atque per *etiam* explicato, menda illa toti sententiae legibusque critices convenienter erit sublata.

Alter locus hic adducendus exstat in Ciceronis oratione post Reditum in Senatu, ubi orator c. 11. documentis benevoli erga se, quem P. R. in ipso revocando declaraverat, animi documentis enumeratis, „Quid denique, inquit, illo die, quem P. Lentulus mihi, fratrique meo, liberisque nostris natalem constituit, non modo ad nostram, verum etiam ad sempiterni memoriam temporis? quo die nos comitiis centuriatis, quae maxime maiores comitia iusta dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam, ut eaedem centuriae, quae me consulem fecerant, consulatum meum comprobarent: quo die quis civis fuit, qui non nefas esse putaret, quacunque aut aetate aut valetudine esset, non se de salute mea sententiam ferre?" — Graevius iam, mendum hic latere sentiens, pro vulgato *illo die* ex nonnullis Mss. rescripsit *ille dies;* quomodo vero ea, quae sequuntur, cum nominativo consentiant, minime docuit. Ernesti tuetur vulgatum, contendens, in istis *non modo* etc. *illustrius* aut simile quid intelligendum. Heumanno vero hic locus hunc in modum videtur corrigendus: *Denique illo die, quem P. Lentulus — temporis, nos comitiis — arcessivistis in patriam, ut* etc. Verba illa *quo die*, hic omissa, in lectione vulgata orta credit ex subsequente *quo die.* Scilicet oculorum errore omissis aliquot versibus librarius, ut ipse opinatur, scripserat *quo die;* deinde animadvertens, se aliquid omisisse, illud *quo die* quidem non delevit, sed tamen omissa adscripsit. — At vero quomodo talis omissio repetitioni verborum illorum locum dederit, minime apparet; ac sane multo verisimilius est, initio periodi ea verba illata esse, in quorum lectione Mss. variant. Contextu totius loci propius inspecto, iisque, quae in oratione in L. Pisonem (c. 15) ab auctore nostro proferuntur, cum ipso comparatis, liquet, vim totius periodi in ultima ipsius parte positam esse. Laetatur scilicet Cicero gloriaturque, non solum totam Italiam ad ipsum servandum excitatam esse, sed omnes quoque cives, quacunque aetate aut valetudine essent, die comitiis habendis constituto convenisse, ut de ipsius salute sententiam ferrent. Quae quidem si ita se habent, locus sic videtur restituendus: *Quid denique, quem diem P. Lentulus — memoriam temporis; quo die nos — consulatum meum comprobarent: eo die quis civis fuit — sententiam ferre?*

His prolusionis loco praemissis, indicem lectionum exercitationumque per semestre proximum instituendarum, Commilitones, Vobis proponimus, ex quibus, quae cuique conveniant, seria meditatio docebit, peritorum consiliis, ad finem certius obtinendum, dirigenda: ut vero fructum inde capiatis uberrimum, ex animo precamur.

I. LECT. ORDINIS THEOLOGORVM.

Dr. ALB. JAC. ARNOLDI, *publice* binis per hebdomadem horis *exercitia examinatoria* instituet. *Privatim* h. x. *Acta Apostolorum* et *Pauli ad Romanos epistolam*, h. ii. vero aut *carmen Jobaeum*, aut, si maluerint Commilitones, *Psalmos* interpretabitur. Neque iis deerit, qui *antiquitates Hebraeorum* ex *G. L. Baueri* compendio sibi enarrari cupiant.

D. GVILIELMVS MVENSCHER, h. vii. mat. Historiam Ecclesiae christianae recentiorem, h. ix. Theologiam dogmaticam, h. xi. Historiam dogmatum christianorum tradet. Praeterea ad artem homileticam docendam paratus est.

Dr. JOANNES LAVR. ZIMMERMANN, Theol. P. P. O. *publice* Commilitonum, qui interpretandi sacri Codicis facere velint periculum, exercitia moderabitur. *Privatim* h. viii. *christianam de moribus doctrinam*, adiecto simul examine super ea, quae fuerint tradita, docebit; h. x. *utramque Pauli epistolam ad Corinthios* interpretabitur; h. iii aut iv. *praecepta catechetica* adiunctis exercitiis practicis tradet. Denique *privatissime* exercitia examinatoria instituet cum iis, quorum interfuerit.

II. LECT. ORDINIS IVRECONSVLTORVM.

Dr. JOANNES PETRVS BVCHER, P. P. O. et Ordinis iur. Assessor *publice* h. ii. diebus Lunae et Jovis exercitia examinatoria in Institutiones iuris civilis Justinianei instituet; *privatim* vero h. x. Jus publicum Confoederationis Rhenanae, in specie R. Westphalici ad filum compendii Zachariae, hora autem xi. ius forestale, metallicum, cambiale et mercantile docebit. Praelectiones quoque in ius naturae, duce Hoepfnero, offert.

Dr. GE. FRID. CAR. ROBERT, P. P. O. et Ord. iurid. Assessor: 1) *privatim:* a) *ius publicum regni Westphaliae*, iunctis principiis generalioribus *iuris publici confoederationis rhenanae*, h. iii.; b) *theoriam processus civilis regni Westphaliae*, h. v., tradet; et c) *praxin iuridicam*, sueto more, dieb. Lunae, Mercurii et Veneris, h. iv., monstrabit; 2) *publice exercitia examinatoria* in ius publicum, d. Martis, et in processum civilem, d. Jovis, h. iv., instituet.

Dr. ANT. BAVER, P. P. O. et O. J. A. 1) *introductionem generalem in iurisprudentiam*, in eaque inprimis encyclopaediam, doctrinam de fontibus et methodologiam, secundum conspectum cum auditoribus communicandum, h. ii tradet; 2) *ius civile napoleoneum* ex secunda compendii sui editione singulis diebus h. vii atque diebus Mercurii et Saturni h. viii exponet; 3) eas partes *iuris germanici*

privati, quae usum habent practicum, duce Rundio, quater per septimanam, h. VIII explicabit; 4) *publice modum procedendi in caussis poenalibus* secundum leges Westphaliae et Galliae dieb. Merc. et Saturn. h. XI docebit.

Dr. FERDINANDVS MACKELDEY, P. P. O. et Ord. sui h. a. Decan. *publice historiam iuris Franco-Gallici* enarrabit. *Privatim* 1) h. X. *institutiones iuris Romani Waldeckio* duce tradet; 2) h. III *theoriam processus communis civilis* e libro secundo *Güntheri* principiorum iuris Romani docebit; 3) h. II *praecipuas Codicis Napoleonei doctrinas* interpretatione exegetica illustrabit et exercitia commilitonum, qui ipsi interpretandi Codicis illius periculum facere cupiant, moderabitur.

III. LECT. ORDINIS MEDICORVM.

CHRISTIANVS FRIDERICVS MICHAELIS, Medic. P. P. O. 1) *publice* h. I-II dieb. Mercurii ac Saturni Clinico chirurgico ambulatorio studium dicabit, iuncto examinatorio chirurgico; 2) *privatim* h. VIII-IX et IX-X. sexies in septimana *Chirurgiae* primam partem exponet, iunctis exercitiis chirurgicis in cadaveribus instituendis; 3) h. IV—V. quinquies in septimana *Medicinam forensem* explicabit; 4) iis non deerit, qui operam suam in *Disputationibus latinis de rebus chirurgicis* desiderent; 5) h. VII-VIII. sexies in septimana morborum chirurgicorum medelam in Nosocomio academico suscipiet.

Dr. JO. DAVID BVSCH, Med P. P. O. Scholae veterinariae Director, per instans semestre aestivum *publice* singulis Mercurii et Saturni diebus h. XI. historiam hominis naturalem enarrabit; privatim singulis Lunae ac Jovis diebus eadem hora ossa animalium domesticorum demonstrabit; Zootherapiam generalem cum Zoopharmacologia, filum compendii sui secuturus, quater per septimanam h. X, et doctrinam de medendis mulierum morbis toties h. VII. matut. pertractabit. Artis obstetriciae praecepta addiscere cupientibus operam suam hora commoda offert. Exercitia practica in nosocomio veterinario continuabit.

Dr. GEORG. GVIL. STEIN, Med. et artis obstetr. P. P. O. *publice* casus speciosos ex praxi artis obstetr. dilucidabit, dieb. Mercur. et Saturni hor. XI-XII.; *privatim*: 1) quater per hebd. hor. X-XI et XI-XII. utramque artis obstetr. partem tractabit; 2) dieb. vero Lunae, Jovis et Veneris h. III-IV. medicinam forensem tradet. *Privatissime* laboribus practicis in Xenodochio obstetr. praeerit.

Dr. JO. GVIL. HENR. CONRADI, Med. Prof. P. O., *publice* dieb. Merc. et Saturn. h. IX. *methodologiam medicinae*, adiuncta *introductione in literaturam medicam*, ex suo compendio tradet; *privatim* vero h. III. *physiologiam*, duce Cl. *Bartels*, h. IV. *pathologiae* atque *therapiae specialis* partem primam, h. X. *praxin medicam* in nosocomio academico docebit.

Dr. FERDINANDVS WURZER, Chymiae et Pharm. Professor P. O. nec non h. a. Academiae Prorector *publice* 1) dieb. Mercurii Chymiam animalem et 2) dieb. Sat. eadem hora selecta capita Chymiae oeconomicae exponet. *Privatim* 3) singulis diebus h. II. Chymiam theoreticam et experimentalem, et praecipue

eius applicationem ad artes ex secunda editione compendii sui docebit; et 4) quater per septimanam Pharmaciam h. v. duce Bucholzio tradet.

GE. GVIL. FRANCISCVS WENDEROTH, Phil. et Med. Doct. eiusdemque et Botanices P. P. O. nec non Inst. botan. praefectus, per semestre quod instat aestivum *publice* de plantarum cultura, aeque ac de indigenarum stirpium multiplici ex iis percipiendo usu bis in septimana h. v. vesp. aget. *Privatim* rem herbariam universalem, exercitationibus practicis ac demonstrationibus in horto botanico agroque Marburgensi subiunctis, quinquies in hebdom. h. XI., Botanicem medicam ac pharmaceuticam h. v., forestalem et oeconomicam h. IX. singul. quater in hebdomade docebit. Denique in legendis et cognoscendis verno tempore efflorescentibus plantis, tam sponte crescentibus, quam nostris in hortis cultis commilitonibus operam suam per ferias paschales offert; nec iis, qui singulas plantarum familias, e. g. gramina, *privatissime* explicari sibi cupiant, defuturus est.

Dr. C. ULLMANN, P. P. O., *publice* dieb. Lunae et Jovis h. XI. *Examinatorium in Anatomiam* aut *Chirurgiam* instituet; *privatim* h. VI. matut. *de morbis oculorum* ex dictatis, h. VII. *Osteologiam* tradet; et *privatissime* hora commoda *Doctrinam deligationum machinarumque* duce Henkelio docebit et autopsia demonstrabit. Denique praelectiones suas in *Chirurgiam* commilitonibus denuo offert.

IV. LECT. ORDINIS PHILOSOPHORVM.

M. JO. BERING, Log. et Metaphys. Prof. ord. et Acad. Bibliothec. *publice* 1) examina logica et metaphysica instituet d. Saturni h. VIII — X. 2) in arte recte disputandi exerceri cupientibus auxilio erit horis ipsis commodis; *privatim* 1) h. IX Logicam ad Fries Grundrifs der Logic; 2) h. VIII. Metaphysicam ex dictatis; 3) h. IV. Ethicam ad Kantii Tugendlehre tradet. Bibliothecam, si res permittit, horis statis aperiet.

J. P. L. DE BEAVCLAIR, Philos. et Eloq. Gall. P. P. O. *publice* bis per septimanam *Conversatorium gallicum* cum *declamatorio* habebit. *Privatim* h. VIII. *Linguae gallicae* fundamenta una cum *Anthologia* sua explicabit. H. IX. BOILAVII *Satyras* una cum *poetica gallica* exponet. H. II. *Regulas* quibus auditores a *Germanismis* sibi caveant e compendio suo *les Germanismes* tradet, et A. A. in vertendis ex germanico scriptoribus sedulo exercebit. H. III. MOLIERI *comoedias selectas* interpretabitur et gallice bene scribendi et loquendi exercitationes instituet *Lectiones* suas tam *gallicas*, quam *italicas*, *anglicas*que desiderantibus non denegabit.

H. CREDE, Dr. et Prof. Phil. Ord., *privatim*, h. VII. ex Ciceronis orationibus, quas edidit Weiske, Lips. MDCCCVI eam pro A. Cluentio sibi sumet interpretandam, et in latine scribendo eos, quorum interierit, sedulo exercebit. Neque vero iis, qui in addiscenda vel graeca vel latina lingua ipsius privatissima uti voluerint institutione, operam suam denegabit.

Dr. CAROLVS GVIL. IVSTI, Philos. Prof. publ. ord., *publice* hora I-II.

selecta *Jobi* capita; *privatim* h. x-xi Pauli ad *Romanos* et *Ephesios* epistolas interpretabitur; hora vero v-vi. p. m. *Aestheticam* tradet.

D. IOANNES MELCH. HARTMANN, Lingu. Or. P. P. O., *publice* hor. i-ii. Abulfedae Africae septentrionalis descriptionem explicabit. *Privatim* h. x-xi. Elementa linguae arameae, ad Michaelis compendia exponet; h. xi-xii. dd. Lunae, Mart. Jov. et Ven. elementa linguae hebraic. ex suo compendio tradet; h. xi-xii. dd. Merc. et Saturn. lectiones cursorias, more sueto, habebit; h. ii-iii. Jesaiae carmina interpretabitur.

D. LVDOVICVS WACHLER, P. P. O. et Biblioth. *publice* die Jovis h. ii. res ab Alexandro M. gestas exponet, historicorum priscorum de iisdem narrationes sub examen revocaturus. *Privatim* h. iv introductionem encyclopaedicam in universum historiae studium duce *Ruehsio* tradet; h. vi. vespert. historiam Galliae turbis intestinis ab a. MDCCLXXXIX concussae dirutaeque et Napoleonis ingenio virtuteque restauratae enarrabit. Neque iis qui institutione sua *privatissima* ad scribendum bene et dicendum in lingua vernacula desideraverint, defuturus est.

Dr. IOAN. CHRISTOPH. ULLMANN, P. P. O. *Privatim* hor. vii. Mineralogiam, h. x. artem rei metallicae et h. ii. Technologiam; *publice* autem hor. viii. Oryctographiam regni Westphalici tradet.

Dr. CHR. ANDR. LEONH. CREVZER, Philos. Prof. P. O. *publice* 1) praecepta studii academici hodegetica tradet, diebus Saturni h. xi-xii; 2) examina logica instituet h. ix-x; *privatim* 1) h. ix-x Logicam praemissa introductione in universam Philosophiae disciplinam ex Kantii compendio; h. xi-xii Jus naturae duce Gros tradet.

Dr. WILH. GOTTL. TENNEMANN, Phil. P. P. O., *privatim* tradet *Logicam* secundum *Hoffbaueri* praecepta (*Anfangsgründe der Logik*. Halle 1810) adiunctis exercitationibus h. ix; *Psychologiam empiricam* duce *Kiesewettero* h. ii; historiam philosophiae ex libro (*Grundrifs der Gesch. der Philosophie*), quem iam typis exscribendum curat, h. xi; *publice* exponet historiam philosophiae novissimae h. vi. dieb. Mart. et Vener.

Dr. BLASIVS MERREM, Scient. oecon. et polit. nec non hist. nat. P. P. O. *publice* dieb. Lunae Jovisque h. ii. generalem naturae animaliumque historiam narrabit; *privatim* sexies rem rusticam Beckmanno duce h. viii, sylvarum curam quater h. vi docebit; de administranda re publica et imprimis de politia quinquies h. xi Lamprechtio duce aget.

IOANNES GVNDLACH, Mathem. et Phys. P. P. O. *Publice* dieb. Merc. et Saturni h. iii-iv divisionem figurarum Geometrica practica explicatam docebit; *privatim* 1) dieb. Lunae, Martis, Mercur., Jovis atque Veneris h. ix-x Mathesin puram, Segnero; 2) dieb. Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. xi xii Algebram Eulero duce; 3) dieb. Mercurii et Saturni h. v-vii Geodaesiam tradet. *Privatissime* operam ipsius desiderantibus non deerit.

CAROLVS FRANCISCVS CHRISTIANVS WAGNER, Phil. D. Lit. Graec. Latinarumque nec non Eloquentiae et Poeseos Prof. P. O. *publice* Virgilii Eclogas interpretabitur. *Privatim* h. vi matutina rerum Graecarum Romanarumque enar-

rabit historiam, et h. IX Sophoclis Electram atque Antigonen explicabit. *Privatissime* duce Schellero exercitiisque adiunctis stili bene Latini tradet praecepta, nec iis deerit qui linguam Graecam, Anglicanamve addiscere, aut Germanicam orationem elimare voluerint.

G. W. MVNCKE, P. P. O. apparatus academici physico-mathematici Director. *Privatim* h. VII. analysin finitorum, duce Cl. Schmidt (d. Analysis I. Th. Fr. 1805) quinquies; h. IX trigonometriam planam et sphaericam, additis hypsimetriae elementis, ad dictata sua, quater; h. X, mathesin puram, institutis cum iis, quibus libet, exercitationibus repetitoriis diebus Saturni, duce Cl. Schmidt, sexies; h. IV physicam experimentalem ad comp. Cl. Mayeri, sexies per hebdomadem tradet; *publice* h. XI dieb. Merc. et Saturni principia arithmetices forensis explicabit, secuturus libellum suum (*Grundriſs der practischen Rechnungsarten zum Gebrauch der Vorlesungen.* Marb. typ. Krieg. 1812).

V. LECT. INSTITVTI POLITICO-OECONOMICI.

JO. CHRISTOPH. ULLMANNI, Instituti h. a. Praes.,
ANT. BAVERI,
JO. DAVID. BVSCHII,
FERD. WURZERI,
LVD. WACHLERI,
BLAS. MERREM.
G. W. MVNCKII,

suo loco memoratae sunt.

VI. SEMINARIVM PHILOLOGICVM.

Alb. Jac. Arnoldi exercitia scribendi et disputandi continuabit h. III die Merc. *Guil. Münscher* die Martis in interpretandis Phoenissis Euripidis, *Lud. Wachler* die Ven. in exponendis Tibulli carminibus exercere Sodales pergent. *Car. Franc. Christ. Wagnero* duce d. Jov. Aeschyli Prometheum et d. Lun. Plinii Panegyricum Trajano dictum iidem interpretabuntur. *Ludolph. Dissen* Lectiones suas, quas in sem. phil. est habiturus, tempore opportuno indicabit.

VII. LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

EDVARDVS PLATNERVS, P. P. E. h. X et XI Doctrinam Pandectarum tradet. Quaternis dieb. h. IV Antiquitates Graecas illustrabit. *Publice* ad duodecim tabulas commentabitur.

Dr. CHRIST. HENR. BUENGER, P. P. E. *publice de morbis dentium* hor. I. dieb. Merc. et Saturni disseret; *Privatim Osteologiam ac Syndesmologiam* duce *Hempelio* hor. XI. quater per hebd. docebit; ceterum *Exercitationes anatomico practicas* moderari perget. Neque iis deerit, qui in *arte fascias applicandi* institutione sua uti voluerint.

Dr. FRIDER. THEOD. KVEHNE, Prof. linguarum occidentalium, *privatim* linguae Gallicae, Italicae, Anglicae et Hispanicae theoriam docebit, et cum provectioribus exercitationes practicas instituet. *Publice* h. XI-XII selecta interpretabitur poemata ex parte secunda der Berlin. Handbücher.

Dr. LVDOLPH. DISSEN, *privatim* explicabit 1) quinquies per hebdomadem Homeri Odysseam, 2) quater Carmina selecta Catulli et Tibulli; *publice*, si tempus commodum inveniri poterit, de grammatica graeca disputabit. — Caeterum horas, quibus lectiones propositas habiturus est, post adventum in academiam indicabit.

Non desunt Magistri peritissimi, qui linguam Gallicam, Anglicam, Galligraphiam, Athleticam, artem saltandi et delineandi recte doceant.

INDICES
LECTIONVM
TVM
PVBLICARVM TVM PRIVATARVM
IN
ACADEMIA MARBVRGENSI
PER
SEMESTRE HIBERNVM ANNI MDCCCXII.
HABENDARUM,

QVARVM INITIVM DVCETVR EX D. XXI. OCTOBRIS.

MARBVRGI,
EX OFFICINA KRIEGERIANA.

ACADEMIAE MARBVRGENSIS
PROREctor CUM SENATU

S. D.

COMMILITONIBVS DILECTISSIMIS.

Cum apud animum statutum habeamus, Commilitones, ut id studium eumque ardorem, quocum nonnulli Vestrum in litteras humaniores jam nunc incumbunt, aut incumbere velle videntur, magis magisque intendamus, pluribus auctorum Graecorum atque Romanorum locis, quae medela egent, in medio propositis Vos edocere, magnam adhuc post tantum VV. DD. laborem et tam accuratam in laudatissimis cultissimorum temporum priscorum scriptis emendandis exhibitam diligentiam haud exiguam superesse adhuc laudis messem ei, qui diligentius ea pertractare, et locis singulis vel rectius explanandis vel sanandis, ingenii sui quantum valeat acumen, ostendere voluerit, nunc jam ad difficiliores quosdam Romanorum scriptores Vos deducimus, inprimisque ad Tacitum, in cujus operibus multa occurrunt, quae VV. DD. ingenium atque eruditio ad liquidum perducere non potuere.

Primus, quem Vobis apponendum censemus, locus exstat in Annal. L. II. c. 33. ubi omnium ille Romanorum historicorum praestantissimus nobis tradit, postquam a Senatu decretum esset, ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis serica viros foedaret, et Fronto deinde argento, supellectili, familiae modum postularet, Gallum Asinium his contra disseruisse: „Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes; idque non novum, sed e vetustissimis moribus. Aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam: et cuncta ad rempublicam referri: qua tenui, angustas civium domos; postquam eo magnificentiae venerit, gliscere singulos. Neque in familia et argento, quaeque ad usum parentur, nimium aliquid, aut modicum, nisi ex fortuna possidentis: distinctos Senatus et Equitum census, non, quia diversi natura, *sed ut* locis, ordinibus, dignationibus antistent, *talesque* ad requiem animi, aut salubritatem corporum parentur. Nisi forte clarissimo cuique plures curas, majoraque pericula subeunda; delenimentis curarum et periculorum carendum esse." — „Quid est illud *tales?* inquit Lipsius: censeo rescribendum, *dignationibus antistent, aliisque, quae ad requiem.* Ideo (inquit bonus patronus luxuriae) repertum, discernere censum Senatorum Equitumque a plebe: non solum ut loco, ordine, dignitate praemineant, sed etiam supellectile, veste, aliisque, quae animo aut corpori cara." — Sensum quidem verborum Lipsius probe calluit, minime vero emendatione proposita ipsum expressit.

Quod si enim ipso auctore legimus *aliisque*, *quae*, tunc sane *locâ* quoque, *ordines* ac *dignationes* iis adnumerentur necesse est rebus, quibus requies animi ac salubritas corporum innitatur; quod profecto qui adfirmet, neminem credo futurum. Hoc potius, sequentibus accurate perpensis, Gallius Asinius adfirmasse videtur, ea, quibus requies animi ac salubritas corporum parentur, iis necessaria esse, qui locis, ordinibus dignationibusque aliis antistent, majoribusque ideo quoque negotiis distineantur. Huic explicationi insistentes nos quidem, reliquis VV. DD. conjecturis prolatis, locum adpositum emendare conabimur. Lipsius legi etiam posse opinatur, *ita aliis, quae ad;* sed tunc id quoque incertum est, num antecedens *ut* per Graecorum ἵνα explicandum sit, an significationem τοῦ ὡς habeat. — Gronovius distinguit et emendat: *non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent et aliis, quae ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur.* Eundem quidem inde extorquet sensum, quem his verbis inesse ipsi adfirmavimus, sed tot verba supplendo, ut Ernestius ipse haesitaverit, Ryckii, a quo illa Gronoviana emendatio recepta est, sequi exemplum. In Oberlini editione legitur *taliaque*, unde, ut Hillero Rac. 25 visum, *talesque* per errorem ortum. At nec haec lectio facilis explicatu est.

Sensum loci si nos recte eruimus, ille ut plane verbis exprimatur, pro *talesque* legendum videtur, *ita iis, quae*, et ut adsit, ad quod *ita* referatur, post *ut* vocem *sicut* inserendam putamus, quae, librarii oculo ab antecedente *ut* ad ultimam ipsius syllabam aberrante, facile omitti potuit. Totus igitur locus ita restituendus; „distinctos Senatus et Equitum census, non, quia diversi natura, sed ut, *sicut* locis, ordinibus, dignationibus antistent, *ita iis, quae* ad requiem animi, aut salubritatem corporum parentur." Et nunc sane omnia optime procedunt. Hanc vero constructionem Tacito esse familiarissimam, ex sequentibus patet. Ann. III, 55. „Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, *ut, quemadmodum* temporum vices, *ita* morum vertantur." Ann. XI, 6. „Nunc inimicitias, accusationes, odia et injurias foveri, *ut, quomodo* vis morborum pretia medentibus, *sic* fori tabes pecuniam advocatis ferat." Ann. XVI, 16. „Detur hoc inlustrium virorum posteritati, *ut, quomodo* exsequiis a promiscua sepultura separantur, *ita*, in traditione supremorum, accipiant habeantque propriam memoriam."

Ann. L. XIII. c. 26. Tacitus refert, quosdam, cum in Senatu de fraudibus libertorum ageretur, fremuisse, „coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse, *vine an aequo cum patronis jure agerent, sententiam eorum consultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, inpulere vel poenam suam dissuadentes.*" — Hunc locum misere esse corruptum jam Lipsius vidit, qui eum varia ratione emendare tentat. „Est, inquit, qui legat, *vi an aequo cum patronis jure agerent, sententiam eorum confutarent, ac verberibus ultro manus intenderent, implere vel poenam suam dissuadentes.* Alius, *ut ne aequo cum p. j. a. s. e. conculcarent: ac v. u. m. intenderent, implerentve p. s. d.* — Ludibria mea haec: *ut jam nec aequo cum patronis jure agerent. Sententia eorum consultari, an verberibus manus ultro intenderent, impune vel poenam suetam dissuadentes.*" Gronovius ita mendam tollere conatus est: *vine an aequo cum patronis jure agerent? sententiam coram confutarent, an verberibus manus ultro intenderent? impellere poenam suam dissuadentes.* „H. e. addit Vir Cl. parum abesse, quin dubium facerent, vine cum patronis agere, an aequo jure, ut pares cum paribus, velint: parum abesse, quin irrumperent in curiam, non modo, ut sententiam contra se dictam arguant, sed etiam ut manus intentent sententiae auctoribus: denique quid aliud agere adversantes, quam ut arcessant poenam suam, et in se ruinam

contrahant." Ernestius tandem bene monet, propter verba: *irreverentiam eo prorupisse*, ab initio *ut* omnino necessarium esse. „Illud quoque video, adjungit deinde V. Cl. non potuisse timere, ne in curiam irrumperent liberti etc. nam cum haec per egressionem relationis dicerentur, non potuere illi scire: adeoque hoc valde improbabiliter diceretur. — Vir doctus in exemplo Gryph sic correxerat: *Ut nec aequo c. p. j. a. sed jam coram insultarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impune vel poena sua gaudentes.* — *Insultarent*, et *impune* arbitror verum esse, et de contemtu poenae a dominis timendae sermonem esse in extremo, ratio subjecta plane docet." — Bipontini legendum censent: *eo pr. fr. ut vine* an aequo c. p j. ag. s. coram conf. ac v. m. u. int. impuniti v. p. dissuad. — Nos sane Lipsium sequuti reponimus *ut jam* pro *vine an;* cum Bipontinis vero *sententiam eorum confutarent* (i. e. ipsis audacter contradicerent) pro *consultarent*, et *impuniti* pro *impulere* recipiendum putamus: et pro *dissuadentes* tandem, quod reliquae orationi minime convenit, conjicimus *despicientes.* Legendum igitur: *quibusdam, coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse, frementibus, ut jam aequo cum patronis jure agerent, sententiam eorum confutarent, ac verberibus manus ultro intenderent, impuniti, vel poenam suam despicientes.* Ac nunc sane omnia non solum bene cohaerent, sed prorsus plana atque intellectu facilia sunt. Confirmant vero sequentia quoque nostram emendationem. Adduntur scil. haec: *Quid enim laeso patrono concessum, quam ut vicesimum ultra lapidem in oram Campaniae libertum releget? Ceteras actiones promiscuas et pares esse*, quae verba aperte ad superiora: *ut jam aequo cum patronis jure agerent*, referenda sunt, ita ut ea, quae jam sequuntur: *Tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat*, antecedentia illa: *impuniti vel poenam suam despicientes*, respiciunt. Caeterum cf. Ann. XVI, 10, ubi eodem sensu dicitur: *ubi cognitum reo, seque et libertum pari sorte componi*, ut hoc loco: *irreverentiam eo prorupisse, ut jam aequo cum patronis jure agerent.*

Ann. L. V. c. 4. Junius Rusticus, litteris, in quibus Tiberius nurum atque nepotem incusabat, adlatis, paucisque Senatorum, ut referretur, postulantibus, dubitantibus se inserebat, ac monebat consules, ne relationem inciperent, disserens: „*brevibus momentis summa verti posse, quandoque Germanis * titium poenitentiae senis.*" Ita Oberlinus hunc locum exprimi curavit, quem quoque variis conjecturis VV. DD. emendare tentarunt. „Elici posset, inquit Lipsius: *dandumque Germanicis interstitium* (sive placet *spatium*) *poenitentiae senis.* Suadebat iste, saltem vel Germanicorum memoriae magnae (Drusi avi, et filii, qui pater aut maritus horum), Germanicorum, inquam, memoriae hoc largiendum, ut spatium esset poenitentiae senis. Posse enim illum ad bonam mentem redire, si tempus medium esset, nec jussio ejus statim patraretur. Sane aliquid de Germanicis fuit; etsi locus fortasse non plenus." — Simillima est Boxhornii conjectura: *dandumque Germanico interstit. p. s* Sed in utraque esse aliquid duri, quia, si *Germanico* vel *Germanicis* dativus sit, pendens a *dandum*, nihil adsit, quo referatur *poenitentiae*, bene monet Ernestius, cui probabile videtur, Tacitum scripsisse: *dandumque in Germanicis spatium poenitentiae senis*, i. e. ipso monente, quia res pertineret ad Germanicos, non esse festinandum. At vero, nisi omnia nos fallunt, in **titium* vox *exitium* latet, legendumque: *quandoque Germanicorum exitium poenitentiae seni* (sc. futurum), quod sane eis convenit, quae sequuntur: „Simul populus, effigies Agrippinae ac Neronis gerens, circumsistit curiam, festisque (l. faustisque) in Caesarem ominibus, *falsas litteras, et Principe invito exitium domui ejus intendi*, clamitat."

His tandem audaciorem aliquam, aut potius audacissimam addamus conjecturam, pro qua tamen fortiter pugnandi nobis minime animus est, sed quam ideo tantummodo proponimus, ut appareat, nec desperatissimum locum a nobis intentatum relinqui. In Ann. L. XI. c. 23. haec exstant verba: „Quidsi memoria eorum inoriretur, qui capitolio et ara Romana manibus eorundem per se satis **." Hunc locum corruptissimum esse nemo non videt, nec est, quod immensam emendationum vim hic adferamus, quibus VV. DD. eum sanare tentarunt: hoc tantummodo moneamus necesse est, sub *eorum* latere *Senonum* jam Heinsium conjecisse. Hunc secuti, reliqua, cum prorsus insanibilia esse videantur, ita rescribi posse putavimus: *Quid si memoria Senonum inuretur, quos capitolium terrore, Romanorum caedibus forum implesse, satis constet?* — Vestigia litterarum sane presse secuti sumus.

Hac schola critica prolusionis loco praemissa, promulgamus Vobis, Commilitones, lectiones per semestre futurum habendas, ut mature rationes dispungatis, omnibusque accurate perpensis ac consiliis peritorum adhibitis, eas eligatis, quae cuique maxime conveniant, simulque, ut eae Vobis sint fructuosissimae, ex animo precamur.

I. LECT. ORDINIS THEOLOGORVM.

Dr. ALB. JAC. ARNOLDI, *publice* binis per hebdomadem horis Commilitonum in libris sacris intelligendis profectus explorabit. *Privatim* h. x. *minores Paulli epistolas*, h. II. *Prophetarum minorum* carmina interpretabitur.

Dr. GVILIELMVS MVENSCHER, h. VIII. christianam de moribus doctrinam, h. IV. Historiam ecclesiasticam antiquiorem ex compendio suo, h. V. praecepta homiletica tradet.

Dr. JOANNES LAVR. ZIMMERMANN, Theol. P. P. O. *publice* exercitia examinatoria in Theologiam dogmaticam instituet. *Privatim* h. IX et XI. *Theologiam dogmaticam*, una cum *dogmatum historia* docebit, h. IV. *praecepta catechetica* cum *exercitiis practicis* tradet. *Scholas* denique continuabit *privatissimas*.

II. LECT. ORDINIS IVRECONSVLTORVM.

Dr. JOANNES PETRVS BVCHER, P. P. O. et Ordinis iur. Assessor *publice* h. II. Jus cambiale et mercantile tradet; *privatim* h. x. Jus ecclesiasticum et h. XI. Jus feudale, duce in utroque G. L. Böhmero, explicabit; *privatissime* denique collegium examinatorium in jus civile Romanum offert.

Dr. GE. FRID. CAR. ROBERT, P. P. O. et Ord. iurid. Assessor, *privatim:* 1) *jus publicum regni Westphaliae*, junctis principiis generalioribus *juris publici confoederationis rhenanae*, h. III.; 2) *doctrinam de actionibus* secundum principia juris Napoleonei, h. V., tradet; 3) *praxin juridicam*, sueto more, d. Lunae, Mercurii et Veneris, h. IV., monstrabit; offert denique: 4) praelectiones in *theoriam processus civilis regni Westphaliae*, aut, si maluerint Commilitones, in *theoriam processus communis; publice* vero *exercitia examinatoria* in *jus publicum*, d. Martis, et in *doctrinam de actionibus*, d. Jovis, h. IV., instituet.

Dr. ANT. BAVER, P. P. O. et O. J. A. *privatim* 1) *ius naturae* ex compendio suo hora II. docebit; 2) *ius criminale*, praeeunte ill. *Meistero*, h. x. tradet; 3) *publice* articulos notabiliores Codicis Napol. diebus Mercur. et Sat. h. II. interpretabitur, nec non 4) rationem defendendi reos, die Sat. h. XI. *publice* monstrabit.

Dr. FERDINANDVS MACKELDEY, P. P. O. et Ord. sui h. a. Decan. *publice* diebus Mercurii et Saturni hor. II. *doctrinam iuris Romani de successione ab intestato* illustrabit; *privatim* vero 1) hor. IX. et XI. *Digesta* ill. *Guenthero* duce interpretabitur; nec non 2) *ius civile Napoleoneum* ex ill. *Baueri* compendio singulis diebus hor. VIII. et diebus Mercurii et Saturni hor. I. tradet.

III. LECT. ORDINIS MEDICORVM.

Dr. CHRISTIANVS FRIDERICVS MICHAELIS, Medic. P. P. O. 1) *publice* hora II-III. clinico chirurgico operam studiumque dicabit, bis in septimana, diebus Merc. et Saturni, et Disputatorium de rebus chirurgicis diriget; 2) *privatim* horis VIII-IX. et I-II. sexies in septimana *Chirurgiae* partem secundam explicabit, operationesque chirurgicas in cadaveribus instituet; *privatim* denique curam habebit aegrotorum in Nosocomio academico sexies in septimana hora IX-X.

Dr. JO. DAVID BVSCH, Med. P. P. O. Scholae veterinariae Director, *publice* historiam hominis naturalem, singulis Mercurii et Saturni diebus h. II. enarrabit; *privatim* reliquis quatuor diebus h. X-XII. artem veterinariam theoreticam aeque ac practicam, ad filum compendii sui, nec non iisdem diebus h. II. doctrinam de cognoscendis et sanandis mulierum morbis, aut, si maluerint commilitones, politiam medicam tradet. Exercitationibus zootomicis, chirurgicis et clinicis duce cl. Hebenstreit hh. I-IV. quotidie dicatae erunt.

Dr. GEORG. GVIL. STEIN, Med. et artis obstetr. P. P. O. 1) *publice* diebus Mercurii et Saturni hor. XI-XII. examinatorium in artem obstetriciam instituet; 2) *privatim* utramque artis obstetriciae partem tradet quater per hebd. horis X-XI et XI-XII.; 3) *privatissime* laboribus practicis in Xenodochio obstetricio omnem navabit operam.

Dr. JO. GVIL. HENR. CONRADI, Med. Prof. P. O., *publice* dieb. Merc. hor. III. de *diaeta literatorum* aget. *Privatim* 1) hor. III. *pathologiam et therapiam generalem*, 2) hor. II. *pathologiae atque therapiae specialis* partem secundam, ex suis compendiis, tradet, 3) hor. X. *praxin medicam* in nosocomio academico docebit.

Dr. FERDINANDVS WURZER, Chymiae et Pharm. Professor P. O. nec non h. a. Academiae Prorector *publice* 1) Toxicologiam diebus Mercurii hora IV. et 2) dieb. Saturn. eadem hora selecta capita Chymiae oeconomicae exponet. *Privatim* 3) singulis diebus h. II. Chymiam theoreticam et experimentalem et praecipue ejus applicationem ad artes ex 2^da^ editione compendii sui docebit; et 4) hora IX. quater per septimanam materiam medicam ex libro suo (Grundrifs der Arzneimittellehre) tradet.

GE. GVIL. FRANCISCVS WENDEROTH, Phil. et Med. Doct. eiusdemque et Botanices P. P. O. nec non instit. botanici Praef., *publice* 1) binis per septimanam horis methodum formulas medicamentorum concinnandi docebit; *privatim* 2) hor. XI. d. Lun., Mart. et Jov. doctrinam de plantis, quas vocant cryptogamicas, excursionibus conjunctis, exponet; 3) Physiologiam universalem hor. VIII. mat. explicabit; 4) Jamatologiam, junctis exercitationibus repetitoriis ad perficiendam auditorum pharmacognosiam institutis, hor. IV. ex scriptis suis tradet.

Dr. C. ULLMANN, P. P. O., *publice* dieb. Lunae et Jovis h. XI. *Examinatorium in Anatomiam* instituet; *privatim* 2) hor. VIII et X. sexies in septimana *Chirurgiam*, duce Cl. Tittmann, necessariis operationibus, adjunctis exercitationibus

in deligationm machinarumque applicatione pertractabit, nec 3) iis deerit, qui et hoc semestri lectiones suas *ophthalmologicas* seu *osteologicas* desideraverint.

IV. LECT. ORDINIS PHILOSOPHORVM.

M. JO. BERING, Log. et Metaphys. Prof. ord. et Acad. Bibliothec. *publice* 1) die Saturni hor. VIII-X. examina logica et metaphysica instituet, 2) in arte disputandi exerceri cupientibus auxilio erit horis ipsis commodis; *privatim* tradet hor. IX. Logicam ad Fries Grundrifs der Logik, 2) hor. VIII. Metaphysicam ex dictatis, 3) hor. IV. Juris naturae praecepta secundum Reiner: Allgemeine Rechtslehre. Academiae Bibliothecam horis statis aperiet.

J. P. L. DE BEAVCLAIR, Philos. et Eloq. Gall. P. P. O. *publice* bis per septimanam *conversatorium* suum *gallicum* continuabit; *privatim* hor. VIII. *Elementa linguae gallicae* ex dictatis, una cum *Anthologia* sua explicabit, hor. IX. MOLIERI *comoedias selectas* interpretabitur et in gallice scribendo auditores sedulo exercebit; hor. X. VOLTARII *Henriadem* una cum *poetica gallica* exponet, h. II. *Gallicismos* ex suo compendio *Cours de Gallicismes* adjunctis exercitiis practicis tradet, h. III. *praecepta linguae Italorum* duce VENERONI docebit. Neque iis, qui in addiscenda vel *gallica*, vel *anglica*, vel *italica lingua* ipsius privatissima institutione uti voluerint, operam suam non denegabit.

H. CREDE, Dr. et Prof. Phil. Ord., *privatim*, h. XI. Plauti Comoedias illustrabit, *privatissimisque* lectionibus dabit operam.

Dr. CAROLVS GVIL. IVSTI, Philos. Prof. publ. ord., *publice* hora I-II. *selecta veteris Testamenti carmina*, *privatim* hora X-XI. *epistolas* quas vocant *catholicas*, hora vero II-III. *Psalmos* interpretabitur.

D. JOANNES MELCH. HARTMANN, Lingu. Or. P. P. O., *publice* hor. I. Abulfedae Aegyptum illustrabit. *Privatim* h. X. principia linguae arabicae ad Michaelis Grammaticam et Chrestomathiam exponet, h. XI. dieb. Lun. Mart. Jov. et Ven. elementa linguae hebraicae ex suo compendio tradet, h. XI. dieb. Merc. et Saturn. lectiones cursorias, more sueto, habebit, h. II. Genesin interpretabitur.

D. LVDOVICVS WACHLER, P. P. O. et Ac. Biblioth. *publice* die Merc. hor. IV. exercitationes practico-historicas moderabitur; die Saturni hor. XII. praecepta studii academici hodegetica, duce *Beckio* tradet. *Privatim* hor. II. historiam orbis prisci; hor. IV. historiam Europae recentiorem e suo compendio; hor. XI. historiam litterarum graecarum et romanarum ex suo enchiridio enarrabit.

Dr. IOAN. CHRISTOPH. ULLMANN, P. P. O. *publice* dieb. Mercurii et Saturni hor. XI. characteres fossilium externos ac internos explicabit. *Privatim* hor. VIII-IX et II-III. quater per septimanam Mineralogiam, hor. X-XI. artem rei metallicae, et hor. XI-XII. Lithurgiam sive artem lapides elaborandi, tradet. Praeterea nec iis deerit, qui in Docimasia aut in analysi fossilium chemica, ipsius uti velint institutione privatissima.

Dr. CHR. ANDR. LEONH. CREVZER, Philos. Prof. P. O. *publice* hor. IX-

x. dieb. Saturni examina logica instituet; *privatim* eadem hora reliquis hebdomadis diebus *Logicam* praemissa introductione in universam Philosophiae disciplinam ex Kantii compendio hor. IV v. Psychologiam empiricam ex dictatis tradet.

Dr. WILH. GOTTL. TENNEMANN, Phil. P. P. O. *publice* interpretabitur *Platonis Phaedonem* (cuius textus editus est Wirceburgi 1807) hor. II. diebus Mart. et Vener.; *privatim* tradet *historiam philosophiae* secundum librum suum: *Grundrifs der Gesch. der Philosophie.* Leipz. 1812. h. XI., *Ethices disciplinam* ex *Schmidii* libro: *Grundrifs der Moralphilosophie.* Jena 1800. hor. X.

Dr. BLASIVS MERREM, Scient. oecon. et polit. nec non hist. nat. P. P. O. *publice* diebus Lunae, Jovisque hor. VIII. rei rusticae et sylvaticae theoriam docebit; *privatim* reliquis diebus hora eadem de administranda republica, imprimis de politia aget; quinquies autem, hora X. specialem animalium historiam duce ill. Cuvier narrabit.

IOANNES GVNDLACH, Mathem. et Phys. P. P. O. apparatus academici mathematici Director. *Publice* dieb. Mercur. et Saturni h. III. Arithmeticam cum exercitiis practicis ex dictatis, tradet. *Privatim* 1) h. X. Mathesin puram elementarem, Segnero; 2) dieb. Lunae, Martis, Jovis atque Veneris h. III. Mathesin applicatam; 3) h. XI. Algebram, Eulero; 4) denique h. II. Trigonometriam planam duce Lorenz docebit. *Privatissime* operam ipsius desiderantibus non deerit.

CAROLVS FRANCISCVS CHRISTIANVS WAGNER, Phil. D. Lit. Graec. Latinarumque nec non Eloquentiae et Poeseos Prof. P. O. *publice* Ciceronis libros de divinatione interpretabitur. *Privatim* hor. IX. Horatii carmina et hor. X. Homeri Iliadem explicabit. *Privatissime* Graecae Latinaeque prosodiae tradet regulas, neque iis deerit, qui Linguam Graecam Anglicanamve addiscere, aut Latinam Germanicamve orationem elimare voluerint.

G. W. MVNCKE, P. P. O. apparatus academici physico-mathematici Director. *Privatim* hor. VIII. physicam experimentalem ad comp. Cl. Mayeri; h. X. mathesin puram duce Cl. Schmidt; hor. III. astronomiae physicae elementa, nec non theoriam telluris et atmosphaerae, secuturus comp. Cl. Mayeri (Lehrb. über die physische Astronomie, Theorie der Erde u. Meteorologie. Gött. 1805.) tradet. *Publice* dieb. Mercur. et Sat. hor. XI. compend. suum (Grundrifs der pract. Rechnungsarten) explicaturus est. *Privatissimis* lectionibus trigonometriae et hypsimetriae elementa ad dictata sua hora libita docenda offert.

V. LECT. INSTITVTI POLITICO-OECONOMICI.

JO. CHRISTOPH. ULLMANNI, Instituti h. a. Praes.,
ANT. BAVERI,
JO. DAVID. BVSCHII,
FERD. WURZERI,
LVD. WACHLERI,
BLAS. MERREM.
G. W. MVNCKII,

suo loco memoratae sunt.

VI. SEMINARIVM PHILOLOGICVM.

Interpretandi periculum facient Seminarii sodales, ducibus *G. Müinschero*, in Thucydidis orationibus, die Martis; *L. Wachlero*, in Tibulli carminibus, die Veneris; *C. F. Ch. Wagnero*, in Aeschyli Prometheo et Plinii Panegyrico diebus Lunae et Jovis; *L. Disseno*, in Xenophontis symposio, d. Saturni.

Latine scribendi, loquendi ac disputandi exercitationes die Mercurii a sodalibus instituendas moderabitur *A. J. Arnoldi*.

Hora utrisque exercitiis destinata *tertia* est pomeridiana.

VII. LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

Dr. EDVARDVS PLATNER, P. P. E. hor. x. historiam juris Romani duce Hugone enarrabit, hor. xi. antiquitates Graecas illustrabit (rogatus), hor. iii. rationem et nexum, qui jus Romanum et Graecum intercedit, publice explicabit.

Dr. CHRISTIANVS HENRICVS BVENGER, P. P. E. *publice* hor. i. diebus Mercur. et Saturni de rebus anatomicis examinabit; *privatim* hor. xi et ii. *Anatomiam partium mollium* duce Hempelio docebit: nec iis defuturus est qui in *cognoscendis atque tractandis oculorum morbis* institutione sua privatissima uti voluerint. Ceterum una cum Prosectore Dr. Herold quotidie horis antemeridianis ac pomeridianis *exercitationibus anatomico-practicis* praeerit.

Dr. FRIDERICVS THEODORVS KVEHNE, Prof. lingu. occident., *privatim* theoriam linguae gallicae, italicae, anglicae et hispanicae docebit, provectioribus autem scribendi et colloquendi exercitationes practicas offert. *Publice* h. xi-xii. examinatorium in theoriam harum linguarum, praecipue gallicae cum auditoribus instituet. Nec iis deerit qui privatissime doceri cupiant.

LVDOLPHVS DISSEN, Phil. Prof. extraord. *privatim* 1) Horatii odas, hora viii., 2) Sophoclis Antigonam et Electram, h. ii., interpretabitur, 3) veterum poetarum metra explicabit, si qui erunt ab hoc studio non alieni.

Non desunt Magistri peritissimi, qui linguam Gallicam, Anglicam, Calligraphiam, Athleticam, artem saltandi et delineandi recte doceant.